

seu arresti et oblationis vel eorum iusta estimatione integre respondeant et responderi faciant. Alioquin, lapsis dictis duodecim diebus, tam illos quam eis auxilium vel favorem præstantes, etiam si Germania aut cuiusvis alterius Nationis fuerint, ex nunc prout ex tune, et e contra, maioris excommunicationis sententia innodamus, a qua ab alio quam Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti, absolviri non possint. Si vero per alios novem dies dictos duodecim dies immediate sequentes, quorum tres pro primo et alios tres pro secundo et reliquos tres pro ultimo et peremptorio termino assignamus, dictam excommunicationis sententiam animo indurato sustinuerint et mandatis nostris effectualiter non paruerint, sententiam ipsam aggravamus, ac ex nunc prout ex tunc Mediolanensem, Papiensem, Cremonensem et alias civitates, terras, castra, oppida et loca Ducatus Mediolanensis huiusmodi ac sub governo dicti Thomae locumtenentis in Lombardia constituta, præsertim Parmam et Placentiam civitates ad nos et Romanam Ecclesiam legitime pertinentes et per gallos occupatas indebite et de facto detentas, ac quæ in omnibus civitatibus prædictis sunt metropolitanas cathedrales, ac alias ecclesiæ, monasteria ac religiosa et pia loca quæcumque ubi dictæ ecclesiæ cathedrales vel aliæ dignitates et beneficia ac quorumvis ordinum monasteria, prioratus, huiusmodi situata et posita fuerint, et generaliter omnia loca etiam extra Italiam ad quæ ipsos excommunicatos declaratos declinare et in quibus ipsos scienter stare permitti contigerit, dicta auctoritate simili motu generali ecclesiastico subiicimus interdicto, ita quod illo durante, in illis, etiam praetextu cuiusvis, etiam apostolici indulti personis ordinibus vel locis concessi, preterquam in casibus a iure permisis, et etiam in illis alias quam januis clausis ac excommunicatis et interdictis exclusis, nequeant Missæ et alia divina officia celebrari, decernentes illud strictissime fore observandum donec ibidem fuerint et post triduum eorum inde discessum, nec non monitos excommunicatos et reaggravatos prædictos omnibus et singulis dignitatibus et honoribus, etiam doctoratus sive magistratus in quibus constituti existunt, et tam ipsos quam civitates, castra, oppida et loca prædicta omnibus privilegiis et indultis, etiam studii generalis, concessionibus et gratiis dignitatibus honoribus quibus utuntur et gaudent seu munita sunt, nec non bonis omnibus que in feudum et in emphiteosim seu alias a Romana vel aliis ecclesiis, monasteriis, beneficiis et locis ecclesiasticis obtinent paenitus privamus, dictaque bona feudalia et emph-

teotica et alia ab ecclesiis obtenta ad dominos suos reverti debere, ita ut de illis libere disponere possint. Et si aliqui ex monitis excommunicatis et reaggravatis prædictis, clerici seculares aut regulares quovis modo beneficiati et in factis ordinibus constituti fuerint, illos prælaturis, administrationibus et regiminibus ac omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus personalibus, administrationibus et officiis, canonicalibus et præbendis ceterisque beneficiis ecclesiasticis quæ obtinent ac ordinibus etiam Sacerdotilibus ad quos promoti forent, sine ulla spe restitutioonis privatos esse decernimus. Et nihilominus, venerabilibus fratribus nostris Asculanensi et Sedunensi ac universis et singulis aliis episcopis et archiepiscopis ac cathedralium etiam metropolitanarum et collegiarum ecclesiæ prælatis, capitulo et personis aliis ecclesiasticis, etiam quorumvis ordinum, etiam mendicantium religiosis, exemptis et non exemptis ubicumque locorum constitutis, per Apostolica scripta mandavimus quatenus præmissa omnia et singula, ubi quando et quotiens expediens fuerit, ac pro parte cardinalium et prælatorum et personarum prædictarum ecclesiasticarum fuerint requisiti in ecclesiis et aliis locis solemniter publicantes Thomam locumtenentem et illi adherentes, fautores aut ad eius et præfati Regis in terris et locis dicti Ducatus stipendia militantes, cuiuscumque nationis fuerint, omnesque, et singulos alios prædictos in præmissis culpabiles, et quos constiterit præsentium vigore monitos non paruisse etiam nominatim, et in specie si eorum nomina et cognomina sciri poterunt, aliqui in genere excommunicatos, privatos et inhabiles, præfataque mediolanensem et alias ecclesiæ, monasteria, civitates dominii Mediolanensis ac illius et alia ad quæ eosdem monitos excommunicatos, privatos, et inhabiles pro tempore declinare, et in quibus sciente stare permitti contigerit ut præfertur, loca ecclesiastica supposita interdicta pubblicet et denunciet, ac ab aliis publicari et denunciari, et huiusmodi interdictum firmiter observari faciant et procurent, donec de damnis satisfecerint et sal restituerint ac sequestrum seu arrestum huiusmodi revocent et fructus restituerint, ipsique officiales Cameræ apostolice ac cardinales, prælati, et personæ ecclesiastice seu eorum legitimi procuratores pacifica possessione ecclesiæ, monasteriorum prioratum præpositurarum et aliorum beneficiorum suorum ad integrum perceptionem fructuum et salis huiusmodi realiter plenarie et integre positi fuerint respective et inducti, ipsique sic excommunicati, privati et interdicti meruerint absolutionis et